



28 Stück

1.
2.
3.
4.
5.

6.
6^a
7.
8.
9.
10.

11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.

B. 481.

11.

AUTORITATE
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI

WILHELMIX
HASSIAE LANDGRAVII RELIQUA

VIRO SVMME REVERENDO ET CELEBERRIMO
GEORGIO GVILLEMO
RULLMANN

S. THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI DOCTISSIMO

MAGISTRATVM ACADEMICVM EIVSQVE
IN SIGNIA

D. XVII JVLII A. MDCCXCIV
TRADET ET AD HVNC ACTVM.

PROCERES ACADEMIAE PRAESTANTISSI-
MOS HOSPITES ET FAVTORES OMNIVM
ORDINVM ET DIGNITATVM
HONORATISSIMOS

ET AMANTISSIMOS COMMITLTONES INVITAT
SIMVLQVE

DE ARGVMENTIS, QVAE PRO VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANAE
VATICINIS ET MIRACVLIS DVCNTVR, AB ILLIS, QVAE
INTERNAM EJVS PROBANT PRAESTANTIAM HAVD
TEMERE SEPARANDIS

DISSESTIT

JOANNES CHRISTOPHORVS
KVMMEL

LINGVAE GRAECAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, ET
ECCLESIAE REFORMATAE PAROCHVS.

RINTELII TYPIS A. H. BOESEND AHL ACAD. TYPOGR.

12



Religionem, quam Christiani ad normam divinae revelationis profitantur, veram, & tam ad tranquillandam, & sanandam conscientiam, quam ad vitae morumque moderamen recte instituendum, prae aliis omnibus Deum colendi modis, quotquot homines ex cogitavere, aptam, Deoque dignam esse, hoc nonsolum perhibent Christi cultores & asseciae ex fundamento, quod experientia comprobatur; sed & ideo quam maxime hanc suam religionem venerantur, quia divinae originis & auctoritatis criteria prae se fert eminentissima.

Haec criteria divinae auctoritatis utique magni ponderis & propterea aestimantur, quia fulcra veritatis christiana fidei sunt, quibus nulla alia religio, quam ea quae sacris literis V. & N. T. continetur, gaudet. Licet enim, fere cuiusvis aliae quam Christianae religionis fautores, in sua religione aliquid veri, immo divini jactent, quod vel in verbis, vel in horum interpretatione positum sit; divinam tamen originem & confirmationem, praecipris veritatum politive revelatarum, afferre haud valent; quae Christianis in promptu sunt, & quas afferre, ut spei suae suadamenta, Juxta 1Petr. III, 15, illis officiis est.

Duplicis generis itaque argumenta sunt, quae vel a certitudine historica; vel miraculosa fidei christiana patefactione & confirmatione; vel denique multis retro saeculis praedictione, statutoque tempore impletione eventuum, ducuntur. Haec externa vocamus argumenta. Vel ex claritate & excellentia divinarum veritatum, quae ad conscientiam sanandam, eique solatium perferendum; & denique ad mores Deo hominibusque bene placentes formandos faciunt. Deoque hinc quam maxime dignae sunt doctrinae, de promissis probations. Ad interna haec referuntur, pro R. C. argumenta. Utriusque generis argumenta in dividuo nexu cohaerent necesse est. Externa enim argumenta pro R. C.; quantumvis excellentia, sine veritatum quas probant explanatione, vel frustra & sine certo fine edita, magno quem praebent usu, destituerentur. Veritates econtra, tam dogmaticae quam morales R. C. sine auctoritate divina, quam externa argumenta exhibent, humanae tantummodo forent auctoritatis hincque, vel pro libitu hominum recipiendae vel spernendae, vel denique non ut divina effata agnoscendae, sed arbitriae interpretationis, quo energiae dogmatum & praceptorum quilibet se subducere posse, expolitae forent.

Nee

Nec vana haec sunt; aut lusu ingenii quodam excoitata; sed nostris diebus, experientia comprobante, observatu necessaria. Sunt enim haud pauci, qui ad modum quorundam recentiorum anglo-rum (a) naturalis religionis tantum patroni, posthabita religione revelata, historica fide, miraculis, & vaticiniorum implementis comprobata, saltim ad sensum quendam moralem, vel etiam meram rationem humanam, quibuscum S. Scr. conveniat, & ad horum peculiarem dignitatem & vim doctrinarum, tantummodo provocant; & ita si non plane spernant divinitus revelatam religionem, tamen non majori reverentiâ eam prosequuntur, quam quâ librum humana scientiâ & doctrinis quibusdam moralibus refertum magni facimus, scriptisque ethniconum, e. gr. Senecae, Ciceronis libris de officiis, Antonini, aliorumque, non omnino spernendis, acsi divinae originis essent, plaudere videntur. Non diffitemur quidem haec scripta multa praeclera & sententiose proposita praecepta continere; multum vero abest, quin si indolem & fundamentum virtutum ab ethniciis commendatarum aequa lance penitemus, tanti aestimare possimus, quanti interna Christianae religionis excellentia praefat. Hujus enim summa haec est, ut amorem erga summum Numen in hominibus excite, & odiūm contra quodeunque peccatum, Deo nimurum dīplicens, quam maxime inculcat. Haec enim sapientiores ethniconum non docuere, nec ex parte, quanto minus omnimode. Ut infinitam praefantiam doctrinarum J. C. prae illis gentilium eo melius cognoscamus, pauca afferre liceat. Illi gentilium Philosophi, v. gr. Plato, Cicero, Epictetus, (b) mitto reliquos, qui etiam de meliori quaedam officia hominibus proposuerunt, haec officia jam eō enervarunt dum principales veritates, utpote quae homines quam maxime ad virtutem trahere debent non docuere, & ut sibi ignota, suo systemate non substravere. Hujusmodi enim sunt ut fundamenta reliquarum: doctrina de Deo unico, ejus essentia, & attributis infinitis; ejus providentia; & denique, quae tam de remuneratione piorum post hanc vitam, quam de poenis post fata impiorum infligendis, merito praeceptis ethices, praemittenda, aut substernenda sunt.

Quòd enim excellentiam praeceptorum moralium religionis christiana, prae illa gentilium, quae admodum jactitur, eo melius ostendamus, notandum erit: ethniconum doctores varia & quidem summi ponderis officia omnino non docuisse. Nil de magna corruptione humanae animae scire volunt; quin potius perhibent: sanam hominis mentem & incorruptam esse; hinc doctrinam de resipiscen-

(a) Vid. A. D. Biblioth. XXI, pag. 449 XXV, 79, seq.

(b) England, George, über die Sittenlehre der Alten, Halae magdeb. 177.

tiae necessitate plane omittunt; quae, ut institutur, praeceptis ethices utique praemittenda est. Immo optimi memoratorum doctorum, de officiis erga supremum Numen, nil proposuerunt. (c) Hincque homines tandem, Deo, summo judici, rationes actionum suarum ut reddant obligatos esse, nil attulere.

Nullus antiquitatis Philosophorum quisquam, ad promovendam Dei gloriam, utpote ultimum omnium humanarum actionum scopum, homines pronus reddere studuit. Stoicorum vel Zenonis schola, suum sapientem, Jovi ad latus ponens, nonne superbiae magis, quam humilitati, quae homines decet, consuluit? Socratem si excipimus, qui primus emendationem hominum pro scopo habuit; quis reliquorum Philosophorum hoc idem sibi sumxit? Interim bonus ille Socrates, sua praecetta & consilia moralia, exiguo numero discipulorum concredidit, cavitque ne cui, quam qui intimae esset admissionis, placita magistri manifestarent. Denique & hoc notandum, quod plerorumque ethnicorum praecetta moralia, splendidis & comitis quidem sententiis sint expressa; fundamentis & motivis tamen agendi, ut supra monuimus, gloriâ nimirum Divina & remuneratione justa post fata, plane carebant. (e)

Comparemus jam ea, quae de virtutibus & praecceptis moralibus & Apostolorum divinitus inspirata scripta, multa excellentius docent; & quantis motivis suas suffulcent doctrinas.

I. Novi Testamenti scripta commendant nobis observationem praceptorum rationi conformium, iustorum, & Deo quam maxime placantium (*εἰνέπετο τῷ Θεῷ*, Rom XII, 1 hoc vocatur.) II. Praepri-
misis adnotant, hominem ad imaginem divinam creatum, per peccata deformatum esse; hinc ad dignitatem hominis pertinere, ut omnem curam, restituendi hanc amissam divinam imaginem impendat, Ephes. IV, 24. V, 1. Matth. V, 48. ut simus perfecti, quemadmodum pater noster coelestis perfectus est. Ille auctor legum, à quo ubique & quo-
cunque respectu pendemus, siquidem ille iudex qui & servare potest & perdere. (Jac. IV, 12. III) Motiva quae nobis ad observanda praecetta in N. T. proposita sunt, ex amore, quo Deus unicus verus, homines amplexus est; v. gr. ex creationis, providentiae, redēptionis & sanctificationis operibus, derivantur; ut Deum aequem

(c) Cicero in III libris, qui de officiis agunt, illorum erga Deum nullam fecit mentionem. Et officia hominum ex mente Stoicorum tradens, hominem magis ad superbiam, quam ad humilitatem, quā Deus virtutibus colendus est, deducit.

(e) Exempla desiderans adeat Walehii Lexic. philosoph. pag. 390 seq., imprimis 2614, seq. Barbeyrac dans la preface au Puffendorf *Droit de la Nature & des Gens* § 19, seq.

amemus, qui nos primum dilexit. Hic vero tener amor & gratitudo pro tot & tantis immortalibus beneficiis, in observatione legum moralium a servatore nostro latarum, ex ejus mente consitit, juxta Joh. XIV, 15. XV, 10.

IV) Ut bona haec pracepta eo melius observentur, pro humanae naturae statu, exempla & premia requiruntur. Illa nobis per totam S. Scripturam, praesertim illa, in vita servatoris nostri frequenta, proposta sunt. Haec, sive premia, non quidem magni ponderis terrena, maxima vero futurae vitae aeternae ut βαθεια nobis promittuntur, voluntatem divinam observantibus.

V) Quum simus fragiles, pracepta divina vero carni & sanguini observatu difficultia, maximum nobis auxilium Spiritus sancti, tam quoad velle, quam quoad efficere promissum est. Luc. XI, 13. Jac. I, 5. Philipp. II, 13.

Haec breviter, (f) quod excellentiam internam dogmatum, imprimis moralium Rel. C. prae quacunque alia religione adstruam, & quod opposita juxta se invicem posita magis illucescant, pro instituti mei ratione, quae brevitatem suadet, ad varia momenta revocabo, ad ea nimurum, quae C. Religionem ob internum suum argumentum quam eminentissimam, prae illa, quae in scriptis gentilium depraedicatur, demonstrant.

Imum Momentum continet veritates, de quibus dicere fas est cum S. Apostolo, I ad Cor. II, 9. „quae antea nec oculus hominis vidit, nec auris audivit, nec animus cogitavit; quae praeparavit Deus suis amatoribus. Nobis autem suo spiritu patefecit.“ Doctrina de Deo unico nempe, omnium rerum auctore & gubernatore in adventu I C. iudeos si exceperis, de quibus mox, vel plane nulla inter gentiles nec Athenis, nec Romae, sedibus ceteroqui aliarum scientiarum pulchri & elegantis, deprehendebatur; vel notitia veri Dei adeo erat deformata; ut secundum, ad Rom. I, 23. „immortalis Dei gloriam ad imagines, similes hominis mortalis & volucrum & quadrupedum & serpentium transtulerint.“ Haec vero nonsolum de stupidis & quasi brutis populis dici poterat; sed etiam de sapientioribus inter priscas gentes, utpote de Aegyptiis, Graecis & Romanis valet. Quot enim Athenis & Romae impurissimorum hominum statuae venerabantur! Nec mihi animus, nec hunc locus est, impuritates & via ejusmodi Deorum enumerare, qui victimis & thure celebrabantur. Sapientiores, sed admodum pauci erant,

(f) Plura, & quae de excellencia interna R. C scripta sunt desiderans, aedat Squire strafbare Gleichgültigkeit in der Rel. Leipzig 1764 Jennings über die innere Klarheit der Christl. Rel. Götting. 1776. Haller Briefe über die Einwürfe wieder die Offenbarung, Bern. 1778. Bernard Abhandl. von der Vortrefflichkeit der Chr. Rel. Rost. 1754.

qui hunc cultum deridebant; neutquam vero suscepérunt cultui ples-
bis contradicere; immo Socrates, sapientissimus inter priscos, axio-
matis instar ponebat: ne quis aliam, quam patriae suae religionem
sequeretur, quae etiam Platonem, in nova, quatu immaginabatur.
Republica, perhibuisse scimus. Eandem fere tristem & obfcuram de
providentia, & mundi gubernatione, sibi formabant ideam Philo-
sophi ante Servatoris nostri apparitionem in carne, & ejus promulgat-
um Evangelium. Supremum quidem Numen esse perhibebant; sed
quale, ipso ignorabant. Permulti, naturae inanimatae & Universi ani-
mam, Deum esse autemabant; hoc est castra Pantheistarum sequen-
tiantur; nullus autem de providentia & mundi gubernatione quid-
quam sani protulit. Alii, numen suum ut ens plane otiosum, res
& actiones hominum, vilium instar spernens, suique solius & suae
felicitatis studiosum concipiebant; quae Epicuri scholae sententia erati.
Alii Deum ut eas minus perfectum, quod vel ex virtutis vel ex amo-
ris defectu, vel denique ex infirmitate, saltim quarundam terrarum &
regionem curas ageret, sine ut singulis individuis prospiceret, statuebant.
^{odiso}Alii, Zenonis affectae, Deum sibi formabant coeci entis instar,
quod fato, & nescio quanam necessitate cogeretur; cuius vi, ut man-
cipium quasi, raperetur. It denique qui providentiam liberam agno-
cebant, ex aspectu mali, quod hominibus, piisque inter hos, ple-
rumque magis quam impius accidit; Deum ut ens quoddam immite
& crudele sibi repreäsentabant, utpote magis proclive hominum
transgressiones puniendi, quam praeclera facta remunerandi. (g)
^lJudaeorum religio, quidem verum Deum unicum, à quo Uni-
versum, vel ad minimam partem ejus regeretur, monstrabat; sed tal-
lem non plane benignum, qualem Christianorum religio omnimode docet.
ⁿMagis crudele & difficile placatu ens, ob sanguinis innumer-
arum victimarum profusionem, quam jusserat, Deum sibi cogitabant.
^{animo} Illud momentum, doctrinae, cuius clara notitia ethnicorum
Philosophos fugiebat, hominis natura spiritualis est. Licut enim sapientiores gentilium, illud: *Nosce te ipsum*, pro basi omnis suae cog-
nitio[n]is venditabant, nihil tamen secius asserere possumus, illos certi
aliquid in hac tam gravi materia novisse.
^o Neque enim de natura animae humanae, an mortalis vel im-
mortalis sit, constans & verum quid, illis notum erat; & si Socratem
magnum pro suo saeculo virum excepteris, (qui tamen animae immorta-
litatem

(g) Ex professo, praeter Pfannerum System: Theol. gentil Basileae 1697.
& Bruckerum Histor. crit. philos. Lips. 1712. de hac re egit Burri-
ny Theologie payenne, ou sentimens des Philosophes & des peuples
payens les plus celebres, sur Dieu, sur l'ame, & sur les devoirs de
l'homme. Paris 1733.

litatem non ex plenaria persuasione credebat, sed tantummodo suscipiebatur, reliqui omnes Philosophi quidquam sani non protulere. Sed non hujus tam gravis & magni ponderis rei solum, sed praembris illius de mali origine, hi Philosophi, insciit erant. Hominem insignibus animi dotibus ornatum, ut illud p[ro] omnibus reliquis creaturis considerabant divinae artis specimen, in quo natura videatur experta, quid efficere possit. Econtra illum hominem p[ro] reliquis creaturis eminentem, si ad tot mala & vitia proclivem, & quasi flagellum societatis, ob pravitatem animi contra alios interdum quasi furentem considerabant, utrumque ab eodem benigno auctore productum esse, conciliare haud valebant; vel ut cum sacris litteris loquar, inter legem intellectus & legem membrorum vel motum animi malorum, certaminis originem detegere, omni cognitione plane destituebantur. Hinc duo sibi principia antiquissimi Chaldaeorum & Persarum Philosophi, aliud bonum, quod Oromazeni, sive lumen; aliud vero malum, quod Arimanium, sive tenebras vocabant, sibi fixere. Horum princeps, quantum novimus, Zoroaster vel Zerdusht, qui tempore Darii Hyrcanidis Seculo V ante Christum natum vixisse fertur.^(h) Doctrinam hanc de duobus principiis, saeculo III ip. C. N. Manes ille, natione Perse, recoxit, cuius etiam placa Guostici, sive neoplatonici adoptarunt. (i) Quae inde fluebat opinio, haec erat. Alii, se ex lumine nato, & Dei propriores esse imaginabantur; quae dammada erat superbia; hinc alios minus nobiles, ex malam materia formatos, ut irrationalia bruta despiciebant. Sacrae litterae nobis econtra non solum originem mali, hincque ad omnes Adami posteros devolutas pravas concupiscentias monstrant; sed signillatim Iesus C. hominum servator, non solum excellentiam & immortalitatem animae humanae monstravit, sed etiam modum, quo pravitatem concupiscentiarum & animi motuum devincere, nosque ad imaginem Dei formare possimus, luculentissime monstravit; & ad minicula, istam pravitatem in qua homo natus, legi divinas subjiciendi, nobis comparavit.

IIIum beneficium per religionem Christianam patefactum in notia & mediis Deum placandi conflitit. Hominem enim reum ob legis transgressiones, & supremum Numen malorum vindicem esse, etiam gentiles jam dudum agnoverant; id quod sacrificia, ad illud Numen placandum, testantur, quae fere ubique ab illis osterebantur, immo adeo his in cogitationibus procedebant, ut quidam, homines bello victos, immo primogenitos liberos, in sacrificia obtulerint.

Mich.

(h) Buddei Histor. Eccles. V. T. pag. 1049. Brucker, Histor. Critic. philos. Tom I p 178 seqq.

(i) p[ro] aliis videantur Moschenni Com[mentarii] de Reb. Christianorum ante Constant. M. pag. 728 seqq.

Mich. VI, 7. & reliquis locis S. Scripturae. (k) Sit enim secundum quosdam eruditos, quod credere fas est, notitiam Deum sacrificiis placari, homines à Noacho accepisse, qui nempe post enatationem ex diluvii aquis Deo ejusmodi, pro animi gratitudine testanda, obtulerat; & sic per suos filios ad posteros transiisse; commixta tamen erat haec sacrificandi caerimonia tot spuriis ideis, ut id, quod sub sacrificiis à Deo institutis latebat, expiationem hominum per sacrificium J. C., plane ignoraverint gentiles. Immo ipsi Israelitarum multi, quantumvis a Deo instructi, cuius etiam lex in eorum manibus scripta versabatur, ritus istos mosaicos, sacrificiorum oblationes, ut opus quoddam operatum strenue quidem observabant, sine ut cum Apostolo loquar, umbram à futuris bonis, sacrificio J. C. nempe tandem pro hominibus offerendo, discernerent; hincque ea, quae ad intercessionem apud Deum faciunt, intellexerint. Sublimem hanc doctrinam, religio christiana, satisfactionem nempe, omnibus numeris per J. C. absolutam, quaeque animos tranquillat, sola docet. (l)

Ivtum eminens Rel. Christ. meritum versatur in eo, quod homines doceat recte ad normam Deo placentem, mores componere. Illa enim, quam servator, hominum, Matth. V, VI, VII, protulit Ethice, & S. Paulus ad Rom. XII λογικήν λατρείαν vocat, se ratione nosolum commendat, sed & Deo adeo decens est, ut nullum dubium contra illam movere valuerint hostes revelatae religionis, quin potius multis nominibus ut excellentem depraedicant. Ante tempore autem Evangelii inter nullam fere gentem haec morum concinna & solida doctrina reprehendebatur; siquidem ipfi Judaei, magis in externis illustrationibus, quam interna animiae purificatione & abstinentia à pravis operibus concupiscentiisque Deo placere existimabant. Multo vero pariori obedientiam Religio christiana, internam nempe cordis, suadet. Insuper & perfectiorem tabulam officiorum Evangelium hominibus tradidit. Huminilitatem cordis erga Deum, nempe exigens, quam gentiles plane ignorabant, & illam in Evangelio commendatam τετελεόθεοντην ad Philipp. II, 3. ut abjecti animi notam damnabant; non dicam quod gentilium doctores hominem potius suis virtutibus superbient, quam omnia ad Deum referentem pronum reddiderint. Fato quidem si ethicien Gentilium ut scientiam specto, illos multa praeclara docuisse, attamen si cum religione quam profitebantur in nexu consideramus, quam multa sibi contradicentia ibi apparent. Libri ethnicorum doctorum multis rationalibus & iustis legibus quidem referri
dam

(k) Bryant von Menschenopfern der Alten. Götting. 1774. Iurieu hist.

des crit. des dogmes & des cultes. pag. 792. seqq. edit. Amsterd. 1704.

(l) Hugo Grotius de satisfactione I. C., proscriptio Cap. X.

8

9

damanda etiam praecepta exhibent. Huc pertinet furtum, apud Lacedemonios & Aegyptios licitum; Aristotelis & Ciceronis doctrina de ulciscendis illatis homini malis; Zenonis & asseclarum permissa autochiria, quam etiam sapiens alias Seneca docuit. Mitto reliqua, ne nimis durus videar. Unum addo, quae apud Gentiles sub nomine virtutum venditabantur praecepta, magis ad promovendam sui populi gloriam, & augendas divitias, quam in gloriam summi Numinis, quod ignorabant, & ad conceptam duritatem cordis perversi emolliendam, data esse. Quantum enim distant haec, ab illis J. C. praeceptis, „qui se ipsum pro nobis dedit, quod nos ab omni scelere vindicaret, & sibi peculiarem populum purgaret, recte factorum cupidum.“ Tit. II, 14.

Vtum quod Christianorum celebrat religio beneficium, tam id est, quo auxilium Spiritus S. in peragendo bono & recto, quam fortiter resistendo malo nanciscimur; quam motiva & remunerations post hanc vitam comprehendit. Quoad primum: gentilium sapientes, originem mali, ut supra monuimus ignorantes, praeclaras quidem variarum virtutum reliquerunt descriptions: nil nempe homines beare posse virtute; illam matrem omnis purae voluptatis esse; etiam in afflictionis statu, solamen mortalibus perferre, & quae sunt reliqua; haec intellectui humano in scriptis proposuerunt. Verum enim vero, maximum illud homini à virtute recedenti impedimentum, quod non in intellectu, sed in pravarum cupiditatum pleno corde hominis comprehenditur, tollere, nec neverunt, nec remedium contra illud suadere valuerunt, id quod Christianorum religio detegit, & humiliiter querentibus offert. Luc. XI, 13. Altera, quam modo monuimus doctrina, de motivis & remunerationibus nempe post hanc vitam, est. Scio quidem, gentilium quosdam sapientiores autumasse, virtutem non sine mercede fore; sed similiter verum est, admodum caute & teate de hac re suas cogitationes apperuisse. Nescio, an non magis desiderium animae, quam certitudinem immortalitatis animae, suis verbis ediderint, dum animam, partem spiritualem hominis, hancque emanationem quandam ex Numine divino esse perhibebant: & denique ex illo argumentabantur, quia virtutes & vicia non omnem quam merentur remunerationem in hac vita accipiant, animas post fata fore superstites. Absit tamen, quin ea, quae de hacre aestimatione digna supersunt monimenta, ethnorum scripta, debilitem. Solamini potius cedere oportet, videndo, rationem humanam in tanti momenti veritate, cum iis quae S. Scriptura revelavit congruere, & viam quasi stravisse. Attamen non diffitendum, haec sola ex ratione ducta argumenta, tantae non esse roboris, ut certam atque inconcussam con-

B viictione

visionem ethnicorum sapientibus dederit. (m) Id nempe intellexerunt, animam humanam, quantumvis simplicem & spiritualem, non eodem, quo corpus dissolvitur modo, interire; & si non interitura sit, neutiquam quaenam illius pars extra corpus foret, norunt. De hujus enim resurrectione & cum anima tandem coniunctione, & ita corporis cum anima conjuncti felice aut triste forte, nil plane suspicati sunt, quin potius illam non sperasse, ex illorum silentio liquet.

Iudei quidem resurrectionem corporum sperabant, ut ex Joh. XI, 24. videmus; sed non omnibus haec erat persuasio, id quod Saduceorum sententia Math. XX, 23. testatur. Haec enim Christianissimi fides, doctrinā de resurrectione J. C. ex mortuis, ejusque ascensione in coelum, ita comprobata est, ut S. Paulus II ad Timoth. I, v. 10 scribat: „Nunc representatum est adventu Servatoris nostri Jesu Christi, qui mortem abolevit & vitam ac immortalitatem collustravit per Evangelium.“

Haec, quae breviter de internā excellentiā doctrinarum Religionis Christianae attuli, quidem proprio corruscant lumine, & quam maxime se commendant; attamen non inficiandum est, illas omnium hominum assensui haud fore accommodatas, nisi externis corroborentur, pro sua divinitate argumentis. Proclivitas enim hominum, multa ut in se rationi jam pervia, & ut ab hominibus bene excoigitata, posteaquam nimis in sacris literis revelata sunt, ut sibi debentia recipere, neutiquam vero spiritui divino accepta referre, nota est.

Varia autem, quae in salutem hominum à Deo patefacta sunt, & de quibus cum Apostolo fatetur: „quae nec oculus hominis vidit, nec auris audivit, quae praeparavit Deus suis amatoribus; nobis autem spiritu suo patefecit, „1 Cor. II, 9 & 10; uti ex gr. satisfactio per Christi Sacrificium parata, per pacis olim & hodie placuit, quibus nil credere libet, quam quod ingenio penetrare possint, & quod palato suo superbient arridet. Ad hoc in primis severa Christi moralia praecepta pertinent, quarum observationi nonsolum aeterna beatitudo ex gratia promittitur, Matth. V, 8; sed etiam à suis cultoribus non fucatam sed puram, ab omni vitiū genere se se continuē removentem vitam exigit 1 Thess. V, 22. His inquam, licet salutaribus & omni receptione dignis doctrinis quis fidem fecisset, nisi divina auctoritate comprobatae essent, & ut cum S. Apostolo loquar eadem Epist. ad Thess. II, 13 non ut τέ Θεού λόγον, ἀλλα λόγον αὐθεντικόν mortales receperissent. Itis igitur argumentis, quae pro interna excellentia R. C.

ad-

m) Senecae verba memorabilia, de animae immortalitate titubantis,
„Mors aut enecat aut emitit,“ vid. Epistol LXXII, mitto multa
alia ejusdem notae testimonia.

— 8 —

ii

adduximus, necesse est, ut & illa, quae externa argumenta vocamus, & quae pro ejus divina origine & auctoritate militant, jungantur. Haec argumenta ad tria potissimum referre possumus, quae breviter perstringendo haec sunt.

I) Argumenta uti vocantur moralia, quae historica fide & certitudine nituntur, (n) probant Jesum Christum vixisse eo tempore quo sacri scriptores perhibent; illum ea, quae in nostris versantur manibus docuisse, morte truculenta innocenter, interemptum, a mortuis suscitatum tertio die, (o) in caelos sublatum, & ex his suos discipulos, qui testes plerorumque dictorum & factorum ejus fuerant, donis spiritus sancti instructos, ad publicandum quae viderant & audiverant ad plerasque tunc temporis notas, gentes misisse; quorum apostolorum testimonio & nosmet instructi, ea quae ita pro veris habemus, omni assensu creditimus. (p) Huic argumento accedit probitas & dexteritas testium, qui, siquidem viri fideli sincerimae, firmum testimonium perhibuerunt illarum quae viderant & audiverant rerum & verborum I Joh. I, 1 seq. quibus etiam non aliis quam nobilis hic erat scopus: homines nempe arcto virtutis & amoris vinculo invicem devincire, & hinc totum humanum genus religione cum Deo reconciliare. Ad haec pertinent, quod plures quam quingenti testes, uno eodemque tempore Jesum a mortuis resuscitatum viderint I Cor. XV, 6, hocque non lucri aut voluptatis causa, siquidem illos dirissimae expectabant poenae, quas etiam propter hoc testimonium a Iudeis & gentibus paratas, tota fere vitae suae duratione, Evangelium praedicando, sustinuerunt. Nihilo tamen secius haec de Christo doctrina fere imperium totum romanum, tunc temporis haud exiguum, adeo percepit, ut S. Paulus ad Rom. XV, 18, 19 his verbis testari possit: „Nam ne quidem eloqui ausim, quod in Christo glorior apud Deum,

B 2

quid

(n) De natura & robore argumentorum ex historia duorum, vide *Houtteville* erwiesene Wahrheit der Christl. Religion durch die Geschichtte Fft 1745, libr. I Cap. 2d; & quod historia veritatem religionis Christi, probet, ibid. cap. 2to pag. 170 seqq. *Lardner* Fides historiae evangelicae veterum scriptorum testimonis confirmata Bremae 1733.

(o) Praeter citatum Dittonium, videatur Gilb, *West* über die Geschichte der Auferstehung, J. C. Riga 1780.

(p) *Biscob*, Richard, Erläuterung der Apostelgeschichte, als ein Erweis von der Wahrheit der Christlichen Religion Magdeb. 1751 *Lyttleton* ammerkung über die Bekehrung und das Apostelamt Pauli, Hanno-
ver 1748.

quid efficerit per me Christus tum verbis tum re . Tanta prodigiorum ac miraculorum , tanta divini spiritus vi , ut ab Hierosolyma per circuitum usque ad Illyricum , omnia Christi evangelio repleverim , & quae sequuntur .

Provocat igitur Ido Apostolus ad *Miracula per Christum*, ad fidem religioni christiana faciendam , à se patrata ; quod alterum externum pro veritate religionis C. est argumentum ; sine quibus & ipsa divulgatio Evangelii in tam brevi tempore peracta , & constans confessorum eius profilio , inter prima & maxima referenda esset miracula . Haec insignia à Christo & per illum edenda , suam inter gentes promulgandam doctrinam confirmantia miracula , jam in V. T. ad characteres & criteria veri Messiae referabantur , de quibus inter alia , insignia sunt loca , Et . XXXV. , 5. & XLII. , 1. „Tunc & coecorum patefient oculi , & surdorum referabuntur aures , cervi ritu saliet claudus , ovabitque lingua muti . Ecce meus servus jus edet gentibus , non clamabit , non queritabitur , jus ad veritatem perducet .“ Ad haec opera Christus ipse Joh. V. , 36. provocabat ; missos illos à Joanne Baptista ablegans , Matth. XI. , 5. dicens : „at ego testimonium habeo maius quam Ioannis . Quae enim opera milii perficienda tradidit pater , haec ego quae facio opera , de me testantur , me à patre esse missum .“ Miracula tamen J. C. , quō prae multis aliis diiudicatis , suscitatio mortuorum , filia Iairi , juvenis Nainitici , & Lazari pertinet , (q) ad doctrinam , quam ipse in salutem hominum proposuit firmandam , & quae post ejus in coelum ascensionem , ab Apostolis in nomine I. C. , uti ipsi semper profitebantur , eundem in finem facta sunt , inimicis religionis christiana occasionem contradicendi praebuerunt . Quod haec miracula revera evenerint ; hoc ob certitudinem moralem diffiteri non valebant inimici ; asserunt potius non vi supernaturali , quin potius naturali , illis apostolis cognita , patrata esse . Aut hoc sibi sumunt : quod aliarum falsarum religionum conditores etiam ejusmodi fecerint . Inter hos praesertim numeramus illos autores anglos , Matth. Tindalium , Thom. Morganum , Thom. Woolstonum , Dav. Hume , & qui hos sequuntur . Hi in contemnum religionis I. C. , miracula , vel potius officias gentilium , v. gr. Vespasiani , Serapidis Dei adminiculo , Alexandriae coeco visum restituentis , (Taciti Histor. lib. IV. , cap. 81. Suetonius in Vespasiano , cap. VII.;) & in ecclesiis Rom. Pontifici addictis , factas allegant , & ad latus miraculorum I. C. & apostolorum ponunt .

No-

(q) vide Lardner Vertheidigung de Wahrheit und Göttlichkeit dreier Wunder unsers Erlösers , gegen Thom. Woolstons Einwürfe Zelle
1751.

Nobis brevitati, quam scopus suadet inservientibus, ea ab inimicis memoratum in finem allata reseilere, suffecerit, illos scriptores, qui ex professo has nugas refutarunt, nominare (r) Progredior jam ad tertium argumentum pro Verit. Rel. C. externum, nempe ad illud, quod à vaticiniis adcurate impletis defumitur. Vaticinia nempe merito miraculis adnumerantur, & cognitionis, ut illa, de quibus in antecedentibus egimus, miracula potentiae vocare possumus. Deum auctorem esse vaticiniorum in aprico est, siquidem nec hominis nec angelii perspicaciam, futura contingentia praedici possunt. Sunt vero duplices generis haec vaticinia; nempe Imo ea, quae nativitatem, fata, mortem & resurrectionem, denique ascensionem; I. C. & effusionem Spiritus S. praedixerunt, & quae in nulla alia persona, quae unquam in hoc sublunari mundo vixit, testante historia omnium locorum & temporum, impleta sunt. In J. C. autem unico consummata esse, ex testimonio fide dignissimorum virorum certo certius novimus. Ipse etiam servator hominum, coram Iudeis, infensissimi suis inimicis ad haec, de se praedicta, multoties provocavit; quarum ad V. T. provocationum, unum prae aliis citamus locum, Ioh. V, 39 „Scrutamini Scripturas, quandoquidem vos aeternam habere vitam putatis, & ea sunt quae de me testantur, & tamen ad me venire non vultis ut vitam adipiscamini.“

Ideo Vaticinia à Iesu ipso, ut futura contingentia praedicta. Ne nimis prolixus sim, ad duo revoco. Primum, Vaticinium J. C. de excidio Hierosolymarum, & circumstantiis hoc excidium tam antecedentibus quam subsequentibus. Fore nimirum, juxta Matth. XXIV, Marc. XIII, Lucae XIX, 41 seq. XXIII, 28. ut bella, fame & peste juncta, excidium Hierosolymarum antecedant; Judaei omni impietate dediti, ruinam urbis promoverent, quod illa urbs adeo in latronum speluncam conversa, (Zelotarum tempore obsidionis scilicet vesaniā,) tandem omnimode à suis inimicis diruta, ut nec lapis lapide super-

B 3

structus

(r) De miraculis Pythagorae, Vespasiani, Hadriani, Apollonii Thyanaei, vide Mosheimi Dissert ad Histor. E. pertin. I, p 155, II 306. De Miraculis Francisci de Paris, quondam Diaconi ad aedem divi Medardi Lutetiae Parisiorum circa annos 1727—1731, ut fertur, editis, vid. Biblioth. raisonnée XIX, 293—433. XX, 178—229. & 243—266. Lefs Wahrheit de Christi Religion § 43—45. Denique de liquefacto Sanguine divi Januarii, Neapolitanorum patroni, admoto nimis crano ejus, videatur Christ. Math. Pfaffi Reponce à la quatrième Lettre du pere Scheffmacher, sur l'invocation des saints p. 49. Taceo, Chemicum insignem, Cap. Naumanum, Berolinensem, praefcente Rom. Imperatore hoc prodigium imitatum esse, vid. Miscellanea Duysburgensis, Tom 2, fasc. 1, p. 195 seq.

structus maneret. Multos falsos Messias surrectuos, Ecclesiam Servatoris quidem magnas persecutions subituram, — quod tamen nihil secius Evangelium per omnes gentes prius oporteat publicari, neminemque Christianorum, sub illa clade Hierosolymitana violenter interiturum fore; siquidem Pellam urbem finitimam Coelesyriae, Christiani hoc vaticinio sui servatoris admoniti confugierunt. (f) Haec & quae sunt plura praedita, hominis ingenio haud propicienda, evenerunt, uti hos eventus ex narratione historiographi judaici, Flavii Iosephi, & aliorum fide dignorum testium, memoratorum eventuum partim coaevorum, partim non multo post viventium, perbene nos scimus Christiani. Ne tamen & in hoc, quod instituto, tam de impletis in I. C. vaticiniis V. T., quam de iis, quae Christus ipse vatecinatus est, & suo tempore evenere, uberioris scripserunt (t).

Ex hac tenus dictis patet, Veritatem R. C. quidem ex singulo jam allegatorum argumentorum elucere, & proprio suo splendore lumine, sive ex veritatibus in salutem hominum per illam patefactis, sive ex miraculis & vaticiniis, quae sigillorum instar, litteris in fidem publicam datis, annexuntur. De his id valet, quod Nicodemus Joh. III, 2, dicebat: „nemo potest tam miranda facere, quae tu facis, nisi adsit illi Deus.“ Quum tamen haec edita miranda, non a quolibet homine, an veri nominis sint miracula, discerni possint, utpote quae ad veram doctrinam firmandam faciunt; necesse est, ut non haec sola, sed juncta cum doctrina J. C. considerentur argumenta; hoc est: an ostentationis aut lucri gratia fiant ejusmodi miranda; vel an ad verum Dei cultum promovendum spectent? Hoc etiam & inde patet, quia ipse Deus, Deuter. XIII, v. 1-3 Israëlitis interdixit, „ne ob facta, sive prodiga cuiuscunque vati aut somniatori ejusmodi edenti, fidem faciant; idque ob signum aut prodigium vobis ab illo praedictum, & tamen vos idem cohortetur ad alienos Deos, vobis ignotos sequendos colendosque: nolite illius aut vatis orationi aut somniatoriis obtemperare somnio; tentat enim vos Jovah Deus vester, ut discat, an se toto corde atque animo ametis.“

Haec

(f) Enseb. Hist. I. 3. c. 5 Epiph. Haer. 29. c. 7.

(t) Ex multis aliis nomine Kidderum & Chandlerum, Jesus der wahre Messias. Rostock 1751. 4to P. D. Huetium, Demonfrat. Evangel. Amstelod. 1680. Propofit. VIII & IX. Wagenfeil tela ignea Satanae, in annotationibus Altdorf. 1681. Thom Scherlock, vom Zweck und Gebrauch der Weissagungen. Lemgo 1749. Praeprimitis Thom Newton Abhandlungen über die Weissagungen. Leipz. 1757 part. II, pag. 17 — 281.

Haec etiam cum Iesu Christi ipsa admonitione convenientur
Matth. XXIV, 24. „Existent falsi Christi, falsique vates, qui tanta
portenta ac prodigia edent, ut decipientur, si fieri posset, etiam elec-
ti. Similiter fanētus monet Paulus 2 ad Thess. II, 9. 10. „quod exi-
stet ille scelerosus, cuius adventus, satanae opera, erit cum omni fal-
forum prodigiorum, portentorum, miraculorum, genere, cumque om-
ni scelerum fraude coniunctus, apud perituros quidem, quoniam
veritatem amoris, quō salvi fieren, non admiserint.“

Concludamus igitur: si miracula omnem animi nostri atten-
tionem excitant, impellantque quo doctrinam propositam explore-
mus, tunc ipsa doctrina simili ratione nobis detegat, unde ejusmodi
miracula veniant; divinaque, ab illis, quae, ut cum Apostolo modo
citato loquar, opera satanae sunt, discernere nos doceat. Hae duea
res, nunquam à se invicem separandae sunt; quin potius una alteri
testimonium perhibeat. Sit doctrina fidei mihi proposita omnium
excellētissima, miraculis autem non confirmata; ex quibus tandem
novero illam à Deo venisse? Utī humanam doctrinam, quae nul-
lam aliam prorsus meretur fidem, quam quae ratione cognitae veri-
tati convenient, & quam credere fas est, prout cuiusvis ratio, vel con-
cipiendi modus permittit. Econtra, sint miracula vel miranda adeo
magna, ut omnem quasi humanam notitiam superent; verum ad
firmandam profanam aut irreligiosam doctrinam edita, ut vel vernum
Deum abneget, vel sc̄itos Deos adorem, angue pejus illam doct-
rinam vitabo, & ut satanae operam, rete mihi tendentis considera-
bo. Si vero has duas res, magnitudinem miraculorum nempe, &
puritatē doctrinae conjunctas videro, manifesta miracula inquam
ad confirmandam doctrinam in se excellētē & perfēctē sanctam,
solum eō collineantem, quō amorem Dei & odium contra peccata
instillet, istum virum has veritates proferentem, & his criteriis mu-
nitum, ut à Deo missum reputabo, qui mihi Dei voluntatem revela-
re, viamque ad aeternam salutem pandere vult. Is mihi in itinere
ad vitam beatam solus auctor & suasor, is unicus mihi dux esto!

Restat ut jam solemnia anniversaria academiae ad diem
XVII Iulii hujus anni indicem, quo ex iussu optimi Principis, patriae
patris GVILLEMI IX, SERENISSIMI HASSIAE LAND-
GRAVII, RELIQVA, ACADEMIAE SVAE ERNESTI-
NAE NVRITORIS AC RECTORIS MAGNIFICEN-
TISSIMI, majorum more, legitime electo, & clementissime
confirmato, futuri anni Prorectori, Viro summe reverendo
&

— 8 —

& celeberrimo Georgio Guilelmo Rullmann, S. S. Theologiae Doctori & ejusdem in hac academia P. P. O. meritissimo, brevi, praemissa oratiuncula, *de vera notione libertatis civilis caute instituenda*, fasces publice tradam academicos.

Magnificus autem successor, pro sua, quam novimus ampla & solida eruditione, *de repurgatione Sacrorum hodie recte aestimanda*, solemni oratione, Prorectoris munus capesset.

Quo igitur hic actus omni splendore niteat, Magnificum Dominum Cancellarium, omnium ordinum Professores, bonarum literarum fautores quoscunque honoratissimos, imprimis autem cives academicos, patriae & nostrae optimae spei juvenes, enixe precor, hunc actum sua ut praesentia condecorare, illustrioremque bonis votis reddere velint.

D. Rintelii d. XIII Julii MDCCXCIV.

Fd 4962

ULB Halle
001 015 370

3



EF

3.5



AVCTORITATE
 RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
 SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
 DOMINI
WILHELMIX
HASSIAE LANDGRAVII RELIQUA
 VIRO SVMME REVERENDO ET CELEBERRIMO
GEORGIO GVILLELMO
RULLMANN
 S. S. THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI DOCTISSIMO
 MAGISTRATVM ACADEMICVM EIVSQUE
 INSIGNIA
 D. XVII JVLII A. MDCCXCIV
 TRADET ET AD HVNC ACTVM
 PROCERES ACADEMIAE PRAESTANTISSI-
 MOS HOSPITES ET FAVTORES OMNIVM
 ORDINVM ET DIGNITATVM
 HONORATISSIMOS
 ET AMANTISSIMOS COMMITITONES INVITAT
 SIMVLQE
 DE ARGUMENTIS, QVAE PRO VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANAE
 VATICINIIS ET MIRACVLIS DVCVNTR, AB ILLIS, QVAE
 INTERNAM EJVS PROBANT PRAESTANTIAM HAVD
 TEMERE SEPARANDIS
 DISSESTIT
JOANNES CHRISTOPHORVS
KÜMMEL
 LINGVAE GRAECAE PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS. ET
 ECCLESIAE REFORMATAE PAROCHVS.
 RINTELII TYPIS A. H. BOESENDAHL ACAD. TYPOGR.

